



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 43. An Pastor cum quocumque damno suo teneatur subvenire subdito
in gravi necessitate Spirituali constituto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

enim actus internus in his circumstantiis sit unicum medium ad deponendum tale odium, quod quis graviter obligatur deponere, patet esse obligationem adhibendi illud medium, qui enim tenetur ad finem, tenetur ad medium necessarium. Similiter si occurrat obligatio succurrenti necessitati extremæ vel gravi hujus numero proximi, docet *Granado* 2. 2. cont. 3. t. 6. d. 6. n. 2. esse simul obligationem eum diligendi actu interno & formalis, quia tum tenetur succurrere proximo, ergo etiam tenetur habere voluntatem succurrenti, haec autem voluntas succurrenti est amor internus. Extra casus illos docet *Carden.* in 2. crisi. d. 8. n. 31. non esse per se obligationem actu interno & formalis diligendi hunc vel illum in individuo proximum.

173. §. 5. Optimè satisht præcepto Charitatis erga proximum, si hic diligatur propter Deum, v. g. quia Deus summè bonus vult, quia Deo infinitè bono sic placet; tum enim manet Charitas proximi, & quidem perfectior, *Carden.* n. 40.

174. Q. 43. *An Pastor cum quocunque damno suo tenetur subvenire subdito in gravi necessitate spirituali constituto.* R. Nomine Pastoris veniunt Episcopi, Parochi & alii ex officio curam animarum habentes, de quibus omnibus certum est sub mortali teneri succurrere subdito, non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate spirituali constituto; & ad hoc quidem tenentur cum quantumcunque magno suo detrimento temporali, imò & cum vitæ propriæ damno, ita *S. Thom.* 2. 2. q. 26. a. 5. ad 3. & q. 185. a. 5. *Suar.* q. 1. p. 2. §. Quartò dico. *Granad.* d. 4. n. 4. *Castrop.* d. 1. p. 9. *Con.* d. 25. d. 7. concl. 1. & 3. *Aravio*,

Bann.

Bann. Arrag. Nav. Tāpia , quos citat & sequitur
 Carden. in 1. crisi d. 76. c. 2. Probatur 1. nam assu-
 mens officium Pastoris ad hoc se obligavit veluti
 per pactum, ideoque communitas ipsi assignavit
 proventus ac stipendia. 2. Sic tenetur Bellidux
 adesse exercitui, Gubernator Urbi de salute tem-
 porali periclitanti, ergo multò magis Pastor
 subdito periclitanti de salute Animæ. 3. Unuf-
 quisque tenetur etiam cum damno vitæ succur-
 rere proximo in extrema necessitate spirituali
 constituto , ergo Pastor tenebitur etiam in gra-
 vi ; Ratio enim & communis sensus dictat pro-
 prium Pastorem ad amplius teneri erga ovicu-
 lam, quam extraneum. Addit Suar. d. 9. f. 2. n. 5.
 etiam teneri cum periculo magni ðamni tempo-
 ralis , si tantum sit magna utilitas spiritualis , ad
 hanc enim subdito procurandam se ex vi officii
 obligavit.

Q. 44. Quenam necessitas spiritualis dicatur ex- 175
 trema , gravis vel communis. R. Extrema est , cùm
 proximus versatur in periculo proximo damnationis æternæ ; item quandoque, si sit in periculo
 proximo peccandi mortaliter ex vehementia
 passionis vel tentationis. Gravis est , si non sit
 quidem periculum proximum damnationis æ-
 ternæ, attamen sunt circumstantiæ, quæ salutem
 æternam reddunt difficilem. Communis est , in
 qua communiter sunt peccatores in mortali
 constituti, ita Carden. suprà : Et de his plura vide-
 ri possunt apud Valent: 2. 2. d. 3. q. 4. p. 3. Bonac.
 in 1. præc: dec. d. 3. q. 3. p. 4. n. 5. Baldel. t. 2. l. 2.
 d. 18. n. 15. Bass: t. 1. v. Charitas n. 21. Castrop. t. 6.
 d. 1. p. 9. n. 10., ubi dant exempla , præsertim
 extremæ necessitatis spiritualis.

Q. 45.